



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Examen Menstruum Pro Curatoribus, & Zelatoribus Animarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)



EXAMEN MENSTRUUM
Pro
Curatoribus, & Zelatoribus
Animarum.

Gratiarum Actio.

Loquar ad Dominum, & non silebo
in æternum! Amabilissime Deus,
& dulcis Pater meus! Ago gra-
tias divinæ Majestati tuæ, in unione me-
ritorum, & actionum Domini mei Jesu
Christi pro omnibus beneficiis, quæ à
primo confessionis meæ instanti ad hoc
usque momentum sine meritis, imò
cum demeritis meis contulisti. Millies
tibi gratias dico, pro beneficio Creatio-
nis, Redemptionis, Conservationis, Fi-
dei, vocationis ad statum S. Religionis,
sacri sacerdotii, curæ animarum: Pro
vita exemplari, & zelo ad converten-
dos peccatores multos: Pro tot sacris
Communionibus, divinis instinctibus,

Examen pro Patribus Spiritualibus.

& innumerabilibus mediis, ad salutem,
& perfectionem tam propriam, quam
alienam promovendam liberaliter con-
cessis: Pro tua longanimitate, & pacien-
tia in toleratis, & non punitis tot pecca-
tis meis: Pro præservatione mei à gra-
vioribus malis culpæ, & pœnæ: Pro
providâ mei electione, & segregatione
à tot impiis te non amantibus, nec cu-
rantibus: Pro mirabili charitate, quâ
me tam paternè hætenus in variis locis,
vicis, & occupationibus per prospera,
& adversa direxisti: Pro diversis tribu-
lationibus, pro meis infamiis, opprob-
riis, accusationibus, aliisque humiliatio-
nibus: Pro felici negotiorum ex obe-
dientia impositorum successu: Pro gra-
tia, quam habui apud homines, eam
nunquam quærens, vel desiderans: Pro
vitæ prorogatione, & memoriæ, ac sani-
tatis conservatione: Pro potenti pro-
tectione inter mille corporis, & animæ
pericula: specialiter tibi gratias ago,
quòd hodie in sacro tribunali occasio-
nem dederis opportunissimam, tuum
honorem ampliandi, malos à via iniqui-
tatis

Examen pro Patribus Spiritualibus.

ratis revocandi, bonos ad sanctitatem,
& justiciam extimulandi : quòd & lu-
mina suggesseris, quibûs & inferos con-
funderem, & ad æterna, ac divina dun-
taxat quærenda pœnitentes animarem.
Denique millies tibi dico gratias pro sin-
gulis donis tam naturæ, quàm gratiæ,
mihi ignotis, & à te concessis etiam ne-
scienti, non petenti, non desideranti,
sed iis tantummodò indigenti. Maximè
pro benevolo divinæ dilectionis, & cle-
mentia erga me affectu, ex quo omnia
munera charitatis tuæ divina in me in-
dignissimum hætenus emanarunt, &
emanabunt impostherum usque in ho-
ram mortis, & per ipsam æternitatem.
Sicigitur Gloria Patri, & Filio, & Spiri-
tui Sancto. Amen.

Petitio gratiæ.

UT aliquo modo satisfaciam benignitati
tuæ, hanc mei examinis industriam
tibi offero. Illumina intellectum, ut
cognoscat, quid deceat zelosum Patrem
animarum. Inflamma affectum, ut
magna audeat pro Deo, & animarum
lucro. Robora memoriam, ne vitâ mi-

Examen pro Patribus Spiritualibus.

nus honestâ, nomen, & dignitatem sacerdotis unquam maculet, aut offendar. Fiat! Fiat! O Jesu! Ecce servus & filius ancillæ tuæ! Paratum cor meum! Jam loquere!

Discussio Cordis.

I. **Q**uomodo accesseris ad S. Tribunal? An facie serenâ? Oculis in terram defixis? Gressu gravi? Virili? Humili? An armatus SS. Rosariô? Occultatis manibus?

2. An præmiseris coram Sanctissimo Altaris Sacramento, vel coram tuo Crucifixo *Accessum*, & rectam intentionem? An & expressam protestationem, non quærendi, nisi Dei honorem, peccatis ablatum, & animas à dæmone raptas?

3. An in accessu recitaveris Psalmum: *Miserere*: In reditu verò *Te Deum Laudamus* cum suspirio: Domine Jesu! Augete nobis fidem, spem, charitatem cum finali gratia, & perseverantia?

4. An sub actuali confessionum exceptione quietus federis? Soli poenitenti intenderis? Illum nunquã aspexeris? Sub auditione sæpe ad Deum mentem elevaris

Examen pro Patribus Spiritualibus.

veris cum dicto : *Domine! Propter te!*
& ab omni peccato emunda nos tuo pre-
cioso sanguine.

5. An magno spiritu, Christianâ man-
suetudine, & invictâ patientiâ hoc Sacra-
mentum administraveris? In nullo te
præcipitaveris? In verba poenitentis sinè
urgente causa non involaveris? De im-
pertinentibus non interrogaveris? An
sexum alterum citò expediveris, & cum
eo *reflexè generosius*, atque *virilius* ege-
ris? Vox mollis non tribuit, sed aufert
compunctiõnis spiritum.

6. An huic Sacramento assederis ad-
ministrando, instructus debitâ scientiâ,
hâncque excolendi causâ singulîs feriis
sextis, aut diebus Mercurii vel conferen-
tiam institueris? Vel casus in hoc foro
extraordinarios tecum perpenderis? In
eruditis auctoribus lustraveris? Et quî
applices, consideraveris?

7. Quid circa obligationes auscultan-
di, examinandi, judicandi, legitimè ab-
solvendi? Hîc vel modicè errare, est in-
currere grande periculum.

8. An formam absolutionis, clarâ, di-
stinctâ,

Examen pro Patribus Spiritualibus.

stinctâ, auctoritativâ voce protuleris, pœnitentem erectis manibus, & clausis oculis benedixeris, & in omni lenitate dimiseris addens : *Eat in sancta pace ! Dei gratia maneat vobiscum !*

9. Quid ratione sigilli sacramentalis ? An omnes Confessiones statim intra vulnera Jesu absconderis ? Nec signô, nec verbô prodideris, vel narraveris, quàm graves habueris peccatores ? Talia effari, est excitare judicia temeraria, nauseam & contempum Sacramentorum.

10. An in dubiis conscientiæ intricatis aut cum viro docto, aut coram Sanctissimo Altaris Sacramento rem egeris tuam : Et quid agendum imposterum, consilium, & assistentiam supplicaveris ?

11. An quotidie reflexum *Memento* pro tuis pœnitentibus ad aram feceris, ut confortentur in omni bono, & absterreantur ab omni malo, præsertim à relapsu ?

12. Quoties præter sacramentales imposueris etiam supererogatorias pœnitentias, quæ insigniter prosunt tum ad diluenda præterita, tum præcavenda pec-

Examen pro Patribus Spiritualibus.

peccata futura? Vel ut filii spirituales sponte rogitarent, quoties exstimulaveris? O utinam sinè his dimitteres nunquam!

13. Cum quali consolatione, exhortatione, ædificatione &c. à te confitentes remiseris? An & ad frequentiores Confessionem languentes animaveris? Certam confitendi formam docueris?

14. Quænam media quotidie proficiendi magis coram Deo, & hominibus paternè suggesseris? Qualiter, & quoties *Confortamenta* huic opusculo inserta applicaveris? Et quò fervore? Aut animi promptitudine?

Contritio, & propositum.

Domine Jesu! O quantæ obligationes meæ! Verùm ô quàm magna & imbecillitas mea! Hinc ô quoties in his tam necessariis punctis defeci! Quoties meâ incuriâ occasiones magna merendi neglexi! Te impatientiâ, pusillanimitate, ac tristitiâ meâ offendi! Proximum asperitate, & inhumanitate, nausèâ, & tœdiô erga hoc Sacramentum affeci! O Pastor animarum Clementissime! Sta-

Examen pro Patribus Spiritualibus.

tuo, quia te, & animas diligo! Statuo
ibo proximè alius ad tribunal sacrum!
Alius per humilitatem! Alius per patien-
tiam, & fortitudinem Christianam. Et
ut seriò fiat, quod nunc firmiter propo-
no, hodie pro omnibus meis admissis
sive ignorantis, sive erroribus, sive ne-
gligentiis recitabo Litanias de omnibus
Sanctis. Domine virtutum! Cujus est
totum, quod est optimum, insere pecto-
ri meo amorem tui Nominis, & alienæ
salutis! Tribue fidei, & Religionis aug-
mentum, ut quæ sunt bona, nutrias:
ac pietatis, fervorisque studiò, quæ sunt
nutrita tam in me, quàm in meis pœni-
tentibus, clementer custodias. Jam
vivat Jesus amor meus! & Ma-
ria Mater Ejus!

CON-